

marum. 5. *Jugum meum suave est*, puta quia propter Christū bajulatur. Hinc B. Paulus ad Rom. 5. scribit: *Gloriamur in tribulationibus*, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctū. Jacob. 1. Beatus vir qui suffert temptationē, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Dei?* Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonū. Joh. 16. In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. 2. Tim. 4. *Militiam bona certavi*, &c.

## CAPUT XLVIII.

NULLAM CALAMITATEM TANTAM esse, cui consolationem Deus non opposuerit; imò Dei consolationem, infinitis partibus majorem esse nostris ærumnis: unde patientiam nostram confirmari par est.

Beatus Paulus immensam Patris cœlestis philanthropiam & suavitatem, erga nos miseros & afflictos homunciones considerans, ea propter Deum laudat in hæc verba:

2. Cor. I.